

N. N. H. 142  
L. 08, 5.

X 1880 746



*Disputatio Juridica*  
**INAUGURALIS**  
*de*  
**HOMAGIO,**

*Germ:*

*Son der Landes-Huldigung /*

*Quam*

*Divina suffragante gratia.*

*Ex*

*DECRETO ET AUTORITATE  
AMPLISSIMI JCATORUM ORDINIS*

*In*

*ILLUSTRI ACADEMIA HASSO-SCHAUMB.*

*PRESIDE*

*VIRO EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO*

**Dn. EDUARDO FRANCISCO**

**GOCLENIO,**

*Jcto & Juris Can. Prof. Ordin. celeberrimo, & Facultatis Juridicæ  
p. t. DECANO Speciosissimo,*

*Duo Patrono ac Promotore suo etatem colendo.*

**PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE DOCTORATUS  
IN SIGNIBUS ET PRIVILEGIIS**

*rite obtinendis*

*Publicæ Magnifici Senatus Academicus, aliorumque  
Eruditorum disquisitioni submittit*

**Christoph. Henricus Westorp,**

*Minda. VVestphalus.*

**IN AUDITORIO JCATORUM, diebus 11. & 12. Sept. 1685.**

**RINTHELI, Typis GODOFR. CASP. Wächters Acad. Typ.**

*de Homagio. Vol. XXI. 25.*

*VI. 1.*

V I R O  
P RÆNOBILISSIMO atque AM-  
PLISSIONO  
D O M I N O  
**SIMONI REMBERTO**

D E S C R I P T I O N /

Serenissimi Principis Hassiaci Cassel. Consiliario  
Cameræ Spectatissimo.

Dno. Avunculo, Patrono & Fautori ætatem colendo

U T E T

NOBILISSIMO, AMPLISSIONO ac  
C O N S V L T I S S I M O

**D N O . G E O R G I O**  
S C H L I E P S T E I N ,

J Cto Celeberrimo

Serenissimiac potentissimi Electoris Brandenburgi  
Gograffio præfecturarum Limberg & Vloto  
Ravensbergensium gravissimo.

Dno. Affini, Patrono & Fautori filiali honore &  
amore ætatem prosequendo,

Hancce Dissertationem Inauguralem  
I N

Debisi honoru & observantia Documentum cum sui commendatione

Dedicat

Eorum Nobilitatibus  
devinctissimus.

**C H R I S T O P H . H E N R I C U S**  
W E S T O R P .





## Præloquium.

**A**rgumentum Disputationis de Ho-  
MAGIO materiâ illustri non mi-  
nus quam ardua me sumere, &  
hunc paucis pagellis publicæ luci ex-  
ponere conatum, audaciam quis non immitiò cen-  
sebit, & quamvis fateri cogar non solum angu-  
stiam temporis ad honores Doctorales consequen-  
dos propositi, sed & alterum ratione thori scopum,  
per quem hocce tempore cogitationes & medita-  
tiones meæ nimium quantum sœpiissime distractæ  
fuerunt, me in exactiori deductione, quam argu-  
menti gravitas exposcit, impeditæ; Placuit tamen  
ingenium in materiâ potius gravi, quam humile  
excercere, in qua hallucinari si non laudem, saltem  
veniam merebitur. Aliquot jam sunt præterlap-  
si anni, cum Academiis valedixerim, intereaque  
temporis studium practicum theoretico auteposue-



—  
rim; Et facile confiteor, in animum meum venisse nunquam honorum petendorum gratiâ Academiam repetere, cum per publica munia ad altiora aspirare mihi persuaserim, hâc autem spe me huic usque frustratum, communis popularium, quibus Patroni deficiunt in aulâ, fors docuit, quæ Exteris indigenas pinguia terræ patriæ linquere jubet, donec Fata meliora concederint. Cum igitur hæc tempora & mores aliud suaserint, hinc etiam aliud hocce propositum pro more rite consequendum aggressus, hanc de HOMAGIO materiam in formâ per brevis dissertationis, potius Decreto Amplissimi Ictorum ordinis satisfacendi, quam ingenii ostendendi gratiâ, proferre volui. Tu candide Lector errores a quo animo corrige & conatum hunc in meliorem accipe.

B. C. D.




5



B. C. D.

Caput. I.

# De origine Nominis & Rei.



Em ipsam aggressurus o-  
peræ pretium puto de origine  
nominis & rei initium facere;  
Originem homagii non juri scri-  
pto sed consuetudinario adscri-  
bendam constat, & Jure Civili  
homagium incognitum esse no-  
tarunt Dd. Maul. de Homag. n.

I. Besold. thes. pract. voc. Huldigung. pag. m. 703.  
Inde etiam subditos, quamvis Domino obedientiam  
& fidelitatem naturali, gentium & civili jure debeant,  
non tamen de jure scripto ad Homagium præstan-  
dum teneri, tradit Molin. in consuet. paris. tit. I. §. 2.  
gl. 3. n. 4. Occasione igitur juris feudalis & per con-  
suetudinem introductum est.

In jure canonico autem sape homagii quamvis  
in variâ significatione sit mentio, vid. cap. ex diligentia,  
de Simon., c. ult., de R. I., c. grandi, de suppl. neglig. pralat. in 6.

A. 3.

Ges.



—  
Consuetudo præstandi homagium interea satis antiquum habet fundamentum, cum fundatam videamus in ipsis sacris literis, np. *jos.* I. v. 17., 2. *Samuel*, §. vers. 3., 2. *paralip.* 23. vers. 16., 1. *Maccab.* 14. v. 46.

Derivant homagium alii ab ὅμηρος, quod est, simul; alii ab ὅμοιος ἀγιος quasi commune sacrum, ut facit Co-  
vacruv. p. 1. relect. c. quamvis, de partis in 6. §. 1. n. 4.  
nonnulli vocabulum hoc descendere dicunt à Græco  
verbo ὅμοιος, quod est, unio, quia per id Domini & sub-  
diti conjunguntur, Arumæus disc. acad. vol. 2. p. 794.  
Scardio placet derivatio ab ὅμοιος juro, Lexic. jurid. in  
voc. homagium. Arumæus c. l. consentit iis, qui ho-  
magium putant vocem barbaram sive corruptam  
Longobardorum vocem ab hominio; quod Scützius  
cum aliis dicit esse qs. hominis ligium, colleg. jur.  
publ. p. 281. plura de vocis hujus etymologia exponit  
Richter de signif. adverb. pag. 346.

Alias homagium etiam dicitur hominium, quod  
venustius quam homagium dictum nonnulli volunt,  
Cujac. obs. l. 8. c. 14. videantur synonyma homagii  
apud Besold. in thes. pr. d. l. pag. 703.

## Caput. I I.

### *De Definitione.*

**H**omagium, Germ. die Lands-Huldigung/de-  
finitur, quod sit astrictio quædam subjectionis  
facta domino ad reverentiam fidem & obse-  
quium.

quium. Hanc definitionem quamvis tradat Arumæns disc. Acad. de jur. publ. vol. 2. p. 795. Attamen num firma ac bona hæc definitio sit, non ex unâ ratione dubitari potest, ab effectu enim petitam videmus; & omne homagium juramenti species est, at nullum juramentum est astrictio, sed præstito juramento illa astrictio oritur; ceu pactum nemo diceret esse obligationem, cum pacto celebrato demum obligatio nascatur. Alii definiunt per assecurationem. Nos autem melius generis loco *religiosam assertionem* ponimus.

Ex traditâ definitione jam patet, quomodo differat homagium à juramento fidelitatis, quod præstat vasallus ratione beneficii, dem Lehr-Herren treu und holdt zu seyn; Homagio autem se quis obligat ad reverentiam, fidem & obsequium, seinen Herren gehorsahm / treu und holdt zu seyn; illud fit ratione beneficii & sic rei in feudum datæ, hoc verò nempe homagium ratione subjectionis, & sic ratione personæ quæ in societate Civili quoad personam Domino territorii subjecta est, præstatur. De differentia hâc videatur Arum. d. l. p. 794. & Londorp. et. publ. part. 4. l. 2. p. m. 790. it. Besold. in ih. pr. p. 704.

## Caput.



## Caput. III. *De Divisione.*

**H**omagium vulgò multifariam dividitur, uti apud Feudistas & Canonistas videre est, qui vocabulum hoc in latiori sumunt significacione; sic nonnulli dividunt homagium in Ligium, & non ligium it. in Ediciale & Decretale vid. Scardii *Lexic. jurid. voc. homag.* quæ tamen divisiones ad homagium personale sive propriè dictum, de quo h̄ic scribere proposui, non pertinent.

Alias homagium latè acceptum, tot continet species, quot sunt & inveniuntur negotia in quibus alter alteri mutuam fidelitatem fidem ac Defensionem promittit, Besold. *thes. pract. d. l. p. 712.* qua ratione sub se comprehendit vasallagium, juramentum protectionis & clientelare Schutz und Schirmspflicht/it. obsequiale vel officiale Ambts und Dienstpflicht / quæ tamen hue non pertinent. Klockius triplex statuit homagium, 1. ratione feudi, 2. ratione rerum, 3. ratione personæ, in *Relat. Camer. p. 854. n. 77.* Sed verius est unum homagium propriè saltem esse, scil. quod ratione personæ, præstatut, & hoc est quod Germ. vocatur die Huldigung/ quæ à Zasio distinguitur in Erbhuldigung & Landshuldigung (quæ tamen distinctio ab aliis non ita attenditur) illam homines proprios jurate ihren Leibeigenen Herren/

9

ren / cum illis de consuetudine Germaniae jurent obedientiam , eosdemque similiter Dominis in quorum territoriis habitant præstare die Landshuldigung / Zassis in l. rogasti II. n. 5. si certum petas : Sic etiam civitas vel alias locus oppignoratus , jurat utriusque & domino naturali & Domino pignoris , vid. Wehner. obs. pract. voc. Landshuldigung / quamvis die Erbshuldigung reale magis quam personale homagium esse , conditionemque personæ principaliter vel ratione jurisdictionis non afficere , sed tantum ratione bonorum & onerum , verius sit , teste Molin. in Consuet. paris. tit. I. §. 2.

Porro observandum homagium haud malè dividii in absolutum & limitatum , sive in simpliciter subjectivum & secundum quid subjectivum , quorum prius à veris subditis Domino territoriali sub cujas jurisdictione continentur & degunt præstatur , posterius autem quod Germanis vocatur die gemäßigte Huldigung non semper secum fert subjectionem & est vel respectivum vel conditionatum ; respectivum præstantes se in quibusdam tantum Domino in aliis vero Imperatori immediate subjectos ( nempe ratione regalium aliorumque iurium immediate ab imperio dependentium ) agnoscunt , Bruning. de homag. concl. 45. Conditionatum ubi sub conditione tantum qui jurant hoc facere tenentur , si nempe pacto speciali , aut consuetudinario introductum fuerit , ut domini antea privilegia subjectorum confirmant , vel prius jurent , aut stipulatâ manu vel literis datis promittant , quod jura libertates & privilegia subjectorum sarta recta confer-

B

vane



vare & tueri velint, vid. Knipschilde de jur. & priv. Civ. Imp. lib. I. c. 3. n. 41. Negari tamen non potest homagium limitatum rectius ad reale, quam personale & propriè dictum referriri.

## Caput. I. V.

### *De iis qui præstare solent homag.*

**P**ersonæ qui se Dominis hoc juramento devin-  
cire solent sunt subditi, hi autem propriè sunt,  
qui in alterius territorio domicilium constitu-  
tum habent, Germ. Unterthanen/ qui fere sem-  
per conjunguntur cum Landsassiis, sed quamvis Land-  
sassien etiam sint homines superioritati territoriali sub-  
iecti, latiorem tamen significationem habet vox sub-  
ditus, cum omnes incolas etiam si nihil rei immobilis  
possideant rectè vocare possis subditos, non vero Land-  
sassios, quæ vox imprimis etiam feudam & rem respi-  
cit & inter se collati subditi & Landsassii hi illis di-  
gniores & superiores habentur, Schüz. coll: jur. publ.  
p. 273. & seqq. Richter de signif. adverb. p. 347.  
Sic etiam Landsassii domino nonnunquam duplice ju-  
ramento obstricti sunt, præsertim Landsassii nobiles, qui  
sæpe sunt Comites & barones mediatè imperio sub-  
iecti, & hi ut platum domino propter subjectionem  
homagium & propter rem feudalem juramentum si-  
delicatis præstare coguntur, vid. Schüz. d. l. p. 274.  
**Quæ-**

Quæstio illa nobilis h̄ic occurrit: An bonorum possessio extra domicilium subje<sup>t</sup>ionem aliquam imprimat, & per consequens an bonorum saltē intuitu quis homagium prestare teneatur? prius quia negandum per l. 17. s. 13. ff. ad municip. & l. 4. C. de incolis; posterius etiam an nempe quis sola bonorum ratione domino territorii in quo sita sunt homagium prestare teneatur? rectè à Schüzio cum allegato Dno Vultejo & Maulio, contra alios ab illis citatos, negatum censemus, coll. jur. publ. pag. 282.

Affinis præcedenti quæstioni est illa: an immediatus in principiis alicujus territorio bona habens ratione horum bonorum sit principis subditus & sic partim mediatus partim immediatus? Negat Reinking. I. cl. 4. c. I. n. 53. it. Vietor de Exempt. concl. 27. n. 3. Affirmat autem Gail. de arrest. Imp. c. 6. n. II. seq. quando nempe jure contractus possessor bona ut subditus acceperit, vel si ex generali loci statuto obtineat, ut possessores bonorum inibi sitorum sint subditi Domini territorii, cui sententiæ ad stipulari videntur Schüz d. l. p. 266. lit. a. addatur omnino Besold. in thes. pract. p. 706. Ubi sic moveret quæstionem: An status Imperii in alterius cujusdam principis territorio bona possidens eorum nomine homagium prestare teneatur? & postquam rationes in utramque partem ex actis celeberrimæ istius causæ Ortenburg contra Bayren protulit, cum affirmantibus sub dictâ distinctione: an in loco ubi bona sita sunt die Landsassen im Gebrauch sey/ ut in multis locis, an vero non, ut in Franconiâ, Sueviâ & Palatinatu, concludit Dominus Eyben, qui haud expeditum esse sentit,



dari status in Imperio, qui etiam subditi municipales sint, in hâc controversiâ difficult & arduâ cum Rodingio & aliis allegatis nihil definire audet, *in E. lect. feud. pag. 259.* Ubi in præcedentibus paginis rationes & Dd. in utramque adducit. Quicquid tamen sit, cum una persona diversis respectibus & qualitatibus diversoque jure considerari possit, *per l. 13. §. fin. & l. 14. pr. ff. ad Selm. Trebell.* nec contraria sint aliquem in libertate esse respectu unius, in servitute verò quoad alium, *per l. 4. §. 7. ff. si servit. vindic.* cum Domino Lud. Hugone putamus, hanc questionem non parum lucis accipere posse, si analogiam imperii spectemus; Nam quia & Reges quidam exteri qui in regnis suis superiorem agnoscunt neminem, ut Hispaniæ, Hungariæ, Daniæ & Sveciæ, in imperio certas quasdam ditiones possident, quarum nomine status imperii sunt, eique fidem & obsequium debent, quidni igitur fieri possit, ut immediatus aliquis imperii civis, ratione domicilii & bonorum, quæ in alterius territorio habet, ei subditus sit, absque deminutione status sui liberi, sunt verba Domini Hugonis de stat. Reg. Germ. c. 4. §. 26. cuius sententiaz fundamentum etiam invenimus im Reichs Absch. zu Augsp. de anno 1548. §. Wiewol auch 66. §. Nachdem auch 69. & §. Auch der Grafen von Tübingen z. I. In quibus textibus ratione quorundam bonorum quis immediate imperio subjectus est, ratione aliorum verò alium superiorem recognoscere tenetur. vid. Knipsch. de jür. Civ. imp. l. 1. c. 3. n. 18. & seqq.

Porro etiam de moribus Imperii homagium

præ-

præstant Imperatori status Imperii, ut Duces, Prin-  
cipes, Comites, Civitates &c: Et quamvis hoc non  
præstant ut peculiare juramentum subjectionis, sed  
ut vasallagium, quia tamen in eo jurant fidelitatem  
& obedientiam istis verbis: *Ereu hold und gehorsam  
zu seyn / uti patet ex formulâ quam cum Wahrem. ab  
Ehremberg refert Reinking. d. l. Lib. I. cl. 2. c. 2. n. 202.*  
non iniquè hoc juramentum homagium dixeris.

Præstari autem debet homagium liberâ volun-  
tate, nam coacte factum adeo non valet, ut & ipso  
jure nullum pronunciatum sit tale juramentum, apud  
Rutger. Ruland. *dec. jur. Controv. quest. 21.* Et  
per meticulosam homagii exactionem subje<sup>c</sup>tio non  
acquiritur, Knichen *de jur. verrit. c. 3. n. 17.*

Subditi omnes jurant homagium sive sint clericis  
sive laici, etiam Principes, comites, barones & no-  
biles modo sint subditi, nisi aliud jus vel conventio-  
ne vel præscriptione acquisiverint, vel loci consue-  
tudo observet, quibus tamen casibus ad fidelitatem  
& obedientiam nihilominus Dominis tenentur, vid.  
Maul. *de Homag. n. 4. & seqq.* Richter *de signif. ad-  
verb. voc. immediate p. 346.* Exemplum notabile  
non jurantium præbet Civitas Argenticensis, quæ  
quamvis civitas imperii sit & licet indubitate olim  
imperio pareat, vetusto tamē more Imperatori hoc  
juramentum nunquam præstitisse prætendit, vid.  
*Reinking. d. l. cl. 5. c. 4. n. 10.*

Si qui autem se immunes prætendunt ab hac  
præstatione, ipsis necesse est, ut hoc tanquam jus

B. 3. Spec.



speciale sufficienter probent, quia pro dominis regula est, Maul. d. l. n. 8.

Subditos esse qui domicilium in territorio habent vel incolae sunt, supra dictum; notandum tamen de domicilio quando dicitur, quod faciat subditum, non intelligi domicilium originis seu nativitatis, cuius effectus hodie sublati sunt, sed habitationis, Myler de princip. & stat. Imp. p. 2. c. 38. n. 8. quod nostris moribus plerumque in Civitatibus Germaniae post annum acquiri dicit Gail. lib. 2. obs. 35. n. 8. quia verò plus ribus in locis quis domicilium habere potest, per l. 5. & 6. §. 2. ff. ad municip. pluribus etiam in locis quis ad homagium præstandum adigi potest; imo etiam si aliquis in propriâ personâ in territorio isto non habitet, sed per familiares tantum suos ibi focum & larem habeat, ad homagium præstandum ibi tenetur, uti pronunciatum refert Joh. Köpen obs. feud. 6. n. 8. vers. & ita pronunciatum.

Quamvis igitur ex deductis appareat subditum esse vel ad homagium teneri, provenire maxime & regulariter ratione domicilii & habitationis, non autem contemplatione bonorum; attamen in terris Saxoniceis hoc jus est ut omnes personæ quæ quoquo modo ibi bona possident, licet alibi domicilium fixerint, quoad personam sint etiam subditi, siveque ad homagium præstandum cogantur, Richter de signif. adv. p. 356.

Q. Si controversia sit inter principem & subditos ratione superioritatis territorialis ac subjectionis, an hi durante lite nihilominus homagium præstare te-

nctadg

neantur? affirm. potestate tamen opus esse exemplo Waldeccnsum probat Besold. *in thes. pr. p. 1706.* salvo enim isto juramento controversias inter dominum & subditos esse posse Maul. *de Homag. n. 15.* casus hic graviter disputatus fuit inter Ducem Brunsvicem & Civitatem Brunsvicum, item inter Comitem Ortenburg: contra Ducem Bavariæ.

Immunes autem à præstatione homagii sunt feminæ, filii fam: & famuli, quoad filios fam: & famulos verò quorundam locorum consuetudinibus aliud inductum ostendit Knipsch. *d. l. lib. 2. c. 9. n. 412. & 43.* In quibusdam locis etiam clerici ab hâc præstatione immunes sunt, ut de Hassiæ pastoribus urbanis & paganis testatur Reinking. *de Reg. S. & Ecccl. lib. 1. cl. 5. c. 4. n. 43.*

Circa questionem: an per procuratorem homagium præstari possit, dissentunt Jcti, affirmat Arum: *vol. 2. Disc. acad. p. 795.* it. Knipsch. *l. 1. c. 12. de jwrib. Civit. Imp.* qui homagia per procuratores præstari & recipi posse afferit; Negat vero Besold. *d. l. p. 704. & 711.* ubi tamen addit, homagium tunc in personâ præstandum, quando dominus conspectum urgeat gravi de causâ. Aliter Surdus *Decis. 159. p. 292.* distinguendo inter homagium & juramentum fidelitatis & hoc per procuratorem præstari posse, homagium verò non posse dicit.

Præstant homagium singuli quoties recipi volunt seu quoties quis sit alicujus subditus, nonnunquā etiam innati juvenes quando matrimonium ineunt, ac proprium larem fovent, ratio quia ut personale quidpiam

*ad.*



ad hæredes transitorium non putatur, Myler *de prin-*  
*cip. & stat. p. 2. c. 38. n. 9.* Universi, quoties mu-  
tatio personæ domini contingit, nam tunc ratione  
dominorum renovandum est, respectu enim subdito-  
rum & præsertim universim consideratorum est per-  
petuum & ad successores transit, cum universitas nun-  
quam mori intelligatur, Arum: *d. l. p. 795. add. Be-*  
*sold. c. l. p. 704.*

Antequam verò à Domino exigatur, non præ-  
statur nec subditi se ad præstationem offerre tenen-  
tur, Arum. *d. l. Maul. de homag. n. 22.*

## Caput. V.

### *Quibus præstari soleat.*

**P**RÆSTATORUM homagium Domino Territoriali, eti-  
am fœminæ in principatum succedenti & cui  
ea rursus nubit, ut & nonnunquam tutoribus fu-  
turi principis, vid. Sueder *introd. in jus publ. parta*  
*spec. sect. 2. c. II.* nonnunquam etiam uxori principis ra-  
tione futuri dotalitii à subditis futuris eventuale jura-  
mentum præstatur, id: *d. l.* In summâ Omni qui Su-  
perioritate territoriali fruitur, ex quo etiam homagi-  
um infallibile signum dicitur superioritatis territoria-  
lis, & fundamentum jurisdictionis territorialis, Knichen  
*de jure territ. c. 3. n. 238.* Si verò plutes sint domini  
uni eorum nomine omnium juratur, ne unicuique in  
solidum ratione onerum & servitorum subditi obli-  
gen.



gentur, & sic conditio eorum fiat deterior, vid. A.  
rum. c. l. p. 796. n. 70.

Non solum igitur statibus Imperii, nempe Prin-  
cipibus, Comitibus, Baronibus & Civitatibus Imperia-  
libus competit die Landshuldigung / sed & Civitatibus  
& Nobilibus immediatis licet non statibus. Imo h̄c  
etiam nomine dominorum territorialium veniunt, qui  
jurisdictionem perpetuam sive Vogteicam die vogten-  
siche Obrigkeit habent, Wehner voc. Vogten p. 484.  
Coler. de process. Exec. p. 2. c. x. n. 105.

Nobiles etiam mediati & vasalli, quibus pagus  
vel castrum aliquod cum appertinentiis concessum,  
homagium à subditis exigere possunt, Mingius de su-  
perior. terrie. concl. 77. Besold. thes. pract. p. 705. Ex  
quibus patet in genere verum esse omnes jurisdictione-  
m perpetuam habentes homagium exigere posse.

Quia & civitates provinciales seu municipales  
hodie plerumque merum imperium & omnimodam  
jurisdictionem ex indultu Superioris vel aliter acqui-  
sciam habent, hinc videmus Consules & senatus hujus  
jurisdictionis respectu à Civibus novellis, seu in nu-  
merum Civium recipi volentibus homagium obsequiū  
den Bürger-Aydt exigere; in quo tamen juramento  
ipse Superior sub quo Civitas dedit semper præfertur;  
nempe das Sie thren Landes- Herren und der Städte  
wollen treu/ holdt und gehorsahm seyn/ Knipisch de jur.  
Civit. Imp. L. 2. c. 9. n. 24.

Porro notandum quod si de domino ter-  
ritorii non constet, ei homagium præstandum esse,  
qui civilem jurisdictionem habet; quem hoc

C in casu



in casu merum Imperium habenti præferendum non sine rationibus statuunt Dd. quos allegat Knipsch. c. l. n. 26. & seqq. ubi etiam exactiōnem homagii neque meri Imperii, neque civilis jurisdictionis esse, eo, quod non ex regimine sive administratione provinciæ, sed ex solâ facultate & potestate repeti soleat, adducit ex Menoch. conf. 74 s. n. 7. tom. 8. & Dn. Vulstj. 3. Marp. conf. 35. n. 33.

Quia etiam alicubi subditi dominis non jurant, sed tantum loco homagii stipulatâ manu promittunt obsequium, hinc quæritur: an & illi præstandum sit homagium, cuius antecessores hoc non exegere, sed stipulatæ manus promissione contenti fuerint, & an præscriptione se hoc in casu tueri possint subditi? Negat Colerus conf. 56. n. 61. & seqq. p. 368. an rectè dubito, cum hisc stipulata promissio in locum homagii successerit, ut tantum forma mutata videatur; quamvis alias simpliciter loquendo istam questionem: An subditi contra præstationem homagii præscriptione se tueri valeant, negandam censem cum Bruning. de Homag. concl. 343. & seqq. Attamen cum distinctione: an is contra quem præscriptio prætenditur superioritatem suam dependenter & ab Imperio habeat ac consequenter jure nostro scripto obligetur, an verò non; & de hoc thesin nostram, non autem de illo intelligimus.

Postquam igitur jam pateat, quod subditi dominis jurare cogantur, non immerito quæritur, an etiam Domini subditis jurare teneantur? Et quamquam non iniquè responderetur, principes quodcumque promittant,

tant, etiam sine juramento præstari obstrictos esse, &  
 illuſtris personæ simplicem aſsertionem haberi loco  
 juramenti, dandumque id honori domini ut ipsi ſine  
 juramento mutuas vices pollicenti credatur, quia ni-  
 hil ſinistri ſubditis de domino præſumendum; non  
 mirum tamen quibusdam in locis conſuetudinem ob-  
 tinere, qua Domini territoriales prius ſubditis jura-  
 mento ſe obſtringere neceſſe habeant cum hoc etiam  
 ſpectemus in ſummis Christiani orbis capitibus, quod  
 ſubditis ſuis in inauguratione & antequam hi iſpis fi-  
 dem ſuam obſtringant, jurejurando ſe devinciant; Sic  
 notum ex generali conſuetudine Imperatores nostros  
 Romanos ante inaugurationem jurato promittere lo-  
 lere, ſe ſtatuum jura, libertates & privilegia justè re-  
 cteque conservaturos; ita & Rex Galliæ in actu unctio-  
 nis ſuis priuilegiis jurat, quod etiam in inauguratione facit  
 Hispaniæ Rex, item Hungariæ, Angliæ, Bohemiæ, Sue-  
 ciæ, Daniæ & Poloniæ Reges, add Reinkind. *de Reg.*  
*Sec. & Ecc. lib. I. cl. 3. c. 9. n. 22. ſeqq.* Quod ta-  
 men apud non omnes dominos territoriales niſi ci-  
 vitatum Imperialium magistratus ita fieri conſucvit,  
 ſed apud eos fermè tantum, quibus ſubditi ſolum ad  
 homagium limitatum & ſubjectionem non impotans  
 tenentur, uſu introductum eſt. Sic Archi-Episcopus  
 Coloniensis jurat prius Coloniæ, antequam Coloni-  
 enses iſi homagium præſtent, Knipſch. *d. I. lib. 2. c. 9.*  
*n. 48.* Archi-Episcopus Bremensis civitati Bremae,  
 & Episcopus Spirensis Spiræ prius jurat antequam ci-  
 veshomagium præſtent, Londorp. *act. publ. part. 4:*  
*lib. 2. p. 759. u. p. 755.* ita adhuc hodie juxta no-



vissimam transactionem Rex Sueciæ Bremensibus antiqua Civitatis privilegia confirmando per literas confirmatorias se devincire tenetur. Londorp. part. 7. pag. 964. quomodo Episcopus Wormatiensis, Spirensis & Archi Episcopus Moguntinus, Moguntiæ, Spiræ & Wormatiæ scel obligent, vid. ap. Lehmann. *Chron. Spir.* lib. 4. c. 23.

Quæritur hîc: An Subditi petentes confirmationem privilegiorum suorum, Documenta & instrumenta Originalia & primæva privilegiorum suorum ad requisitionem principis edere teneantur & affirm. vid. Klock. *conf. I 9. per tot.*

Sic Dominis illis quidem fides & obsequium juratur, sed ita ut domini vicissim jurent & jura privilegiaque jurantium salva & illibata mansura promittant.

In genere autem homagio seu omni homagiali obligationi hæc conditio inesse censetur, ut Dominus etiam fidus sit subditis, etiamsi non exprimitur vel Dominus hoc jurejurando promittat, tamen subintelligi & promissum videri debet; vid. Besold. *in thes. pract.*

p. 704.

# Caput



## Caput. VI.

# *De Forma in quâ præstan- dum homag. & Modo.*

**C**ommunem homagii formam suppeditat Rein-  
king. de Reg. Sec. & Eccl. Lib. I. cl. 4. c. 18.  
**C**n. 25. ubi refert formulam homagii quam  
subditi Hassiaci illustrissimis Landgraviis suis  
& Ducibus Saxoniz ob confraternitatis pactum jura-  
re tenentur: Ihr sollet geloben und schworen / das ihe  
wollet idem Durchl. hochgeborenen Fürsten und Herrn /  
Herrn N. Landgrafen zu Hessen &c. und S. F. G.  
Ehelichen - Manlichen - Leibes - Lehens - Erben / und im  
Mangel derselben Ihren freundlichen lieben Brüdern  
N. N. N. und Ihren Mannlichen - Ehlichen - Leibes - Le-  
hens - Erben ic. Und im Fall der ganze Manliche Stamm  
der Fürsten zu Hessen Todshalber abgangen / und ver-  
storben were / den Thürfürsten zu Sachsen / Landgrafen in  
Thüringen und Marggrafen in Meissen / und Ihren  
Mannlichen Leibes - Erben / in Krafft der Erbverbrüde-  
rung un samblicher Belebung / auff die angezeigte Fälle /  
wie vorstehet / getreu / gewärtig und gehorsahm seyn /  
Ihrer Fürstl. Gnaden und Dero selben Erben / Frommen  
Ehre und Nutzen fordern / Schaden warnen und wens-  
den / nach Eurem besten Vermögen / auch sonst alles  
andere ihun / halten und lassen / daß getreue Untertanen

E 3

ges



gegen ihren Lands-Fürsten und Obrigkeit/ von Gottes auch Gewohnheit und Rechts wegen zu thun schuldig seyn/ ganz getreulich und ungefährlich.

Bavaricorum & Württembergicorum homagiorum formulæ videri possunt apud Besold. in thes. pr. p. m. 710.

Limitati autem homagii forma appetet ex formulâ quam senatus & Cives Colonienses suo Archi-Episcopo jurare, ex Statut. Colon. fol. 9., allegat Knipschildt. L. 2. c. 9. n. 49. Diesen Tag heute und diesen Tag all/ und von diesem Tag forth / hulden wir freye Bürger von Cölln/ unserm Herrn N. Bischoffen zu Cölln/ treu und hold zu seyn/ als lang Er uns hält in Recht und Ehren/ bei unsrer alten guten Gewohnnde/ die wir und unsere Vorfahren herbracht haben/ behalten uns unserti Weibern und Kindern unsrer Stadt Cölln ohne Argelist/ etc.

Huic non absimiles sunt formæ & modi jurandi Spitensum & Bremensum, quas habet Londorp. act. publ. part. 4. lib. 2. p. 789.

Quia vero in homagio obtinet usitata illa clausula: More majorum; igitur etiam semper sui simile esse debet, nec in Domini territorialis potestate est, quicquam in eo invitis subditis mutare, Arum. disc. jur. publ. vol. 2. p. 795. hinc si in eo controversia incidat, ad actus anteriores recurrendum,

Jurari plerumque solet populo universo ad curiam vel alium locum publicum convocato, ubi statuti provinciales separatim homagium præstant, veluti ordo equestris der Adel & interdum Civitates municipi,



municipales die Land-Städte quando per procuratores & Syndicos jurant, Natta *cons.* 598. n. 13. tom. 3. & mediante corporali juramento homagium præstari nisi aliud conventione vel præscriptione inductum sit, ex supra dictis notum; In quo actu à subditis liberis nihil donatii causa exigendum, quod tamen secus in singulorum receptione esse consuevit, sed novi Domini in subditos congiaria & missilia spargere solent; attamen etiam hos, si novis dominis honoris gratia dona offerant, non malè sibi consulere putat Arum: d. I. ubi plura de solennitatibus in actu homagiali solitis annexit.

Quod si ipse Dominus in personâ recipit iuramentum, præcedere solet de communi consuetudine solennis introductio, vel si Episcopus est, in thronisatio; Ubi Status provinciales ipsi obviam procedere, de adventu gratulari, subditorum obsequia testari; Civitatis etiam Magistratus adventarem excipere, humillimâque reverentiæ obtestatione factâ, claves portarum offerre solet, quemadmodum etiam hoc debitæ observantiae exemplo subditos palatinos Serenissimum suum Electorem & Ducem Neoburgicum non ita pridem excepisse, relationes hebdomadales nos nuper docuerunt.

Huc pertinet quod in formula homagii in eventum futuræ mortis sine prole masculâ proximi agnati, his deficientibus remotiores & his etiam cessantibus, confratres comprehendendi & exprimi soleant; uti hoc in formulâ homagii Hassiaci supra relata videre est.

Ali.



Aliquando etiam homagiali formulæ expressæ  
inseri, ne subditi se alterius principis clientelæ subjiciant, daß die Untertanen anderer Orthen keinen Schirm  
suchen wollen / testis est Besold. d. l. p. 711. quod ta-  
men etiam non expressum homagio tacitè inesse in-  
telligitur cum id singulariter prohibitum per artic. 9.  
Capitul. Leop. verb. Als wollen wir nicht allein durch  
Abmahnungsschreiben solchem weit ausschendem Vor-  
nehmen begegnen / und nicht gestatten / daß der guldnen  
Bull/dem Friedenschluß und den Reichs constitutio-  
nen zwieder / einige mediat Untertanen mit außwers-  
igen Potentaten und republiken oder anderwârtigen  
Reichsständen / oder Oero Landständen und Untertanen  
einige confœderation, protection, mediation und gua-  
rantie sub quocunque prætextu vel colore eingehen os-  
ter auffrichten mögen &c.

## Caput VII. *DE EFFECTU.*

**E**ffectus potissimus & principalis est, quod juran-  
tem efficiat subditum; prima enim agnitiō & pro-  
batio subjectionis per homagium sic juxta, Besold.  
voc. Huldigung p. 702. & Richter de signif.  
ad verb.voc. immediate pag. 346. inquit, subjectionis es-  
se testimonium omni exceptione majus, quod ab ho-  
ma.

magii exceptione desumitur &c. Hoc enim præstans propriâ & juratâ confessione, se subditum constituit, non secus ac si quis confitetur, se teneri pro aliquo, Bald. in l. 2. n. 56. vers. sed ego C. de servit. sed vid. Reinking. de Reg. S. & E lib. I. cl. 5. c. 4. n. 24. & segg. ubi distinguit inter homagium reale & personale. Non omne enim homagium secum fert subjectionem, ut constat exemplis quarundam liberarum in imperio civitatum Coloniæ, Spiræ, Wormatiæ, Bremæ, quas Episcopis suis salvâ immedietate homagium præstare abunde constat quemadmodum eò tendunt bremensium argumenta responsoria ad secundum argumentum Svecorum apud burgold. ad instrum. pacis Disc. 13. n. 3. pag. m. 93. Et quod per actum homagialem nicht allezeit Eib. Unterthanigkeit prohibet werde/ bene deductum legitur in apologiâ Hamburgensem apud Londorp. act. publ. pare. 5. pag. 824. ubi etiam eleganter dicitur, etsi ex homagii præstatione inferretur: locum istum esse membrum terrarum in quibus situs, procedere tamen hoc taltem quoad protectionem non verò subjectionem.

Ut rem verbo definiam: arguit homagium subjectionem & superioritatem non à priori sed à posteriori; Neque ideo enim quis censetur subditus, qui jurat, sed quia subditus est, ideo jurat; Et vice versa, non ideo quis superior est, quia recipit juramentum, sed ideo exigit & recipit id ipsum, quoniam superior est, vid. Simon de jurisdict. territ. cap. 6. s. 1

Alias præstito homagio subditi qui verè sunt, pleno jure addicuntur principi, nec alienæ clientelæ

E

seu



seu protectioni se subjicere valent, vid. Reinking. d. l.c. 3. n. 24. seqq. Capitul. Leopold. art. 9. prout & hoc aliquando expresse inseri solet homagii formulæ, ne scil. subdit alterius clientelæ se subdere audeat, ut supra memoratū, vid. Besold. d. l. p. 711. ubi tamen merito excipit casum supremæ & inevitabilis necessitatis.

Ob præstium homagium Dominis territorialibus subditos fortius obligari ac imperatori communiter tradi solet, vid. Petrus Müller: *consuls. virorum cognit. rer. Eccles. &c.* 8. n. 6. Et quidem ex his curationibus & propterea, quod subditi Domino suo ex duplii sint capite obstricti, 1. propter juramentum quod ipsi specialiter præstant, 2. propter specialem jurisdictionem quam ipse habet; sed quia in omni juramento Imperator (cui etiam subditi mediati jure subjectionis & devotione devinetti sunt, per Reichs Absch. zu Wormbs de anno 1564. 6. Wiewohlt auch in der Executions Ordnung) exceptus intelligitur ut Imperator, qui etiam certis casibus subditos à juramento dominis mediatis præstito absolvere potest; & jurisdiction ut dependens respectum suum ad Imperatorem habet, hinc merito istud effatum limitandum ex distinctione quam tradit Schütz coll. jur. publ. pars. I. Disp. 6. 8. 5. lit. g & 8. 7. lit. e. Certè enim superioritas territorialis non est absoluta, sondern hat auff Kaiserl. Majestät und dem Reich ihren unerhöhnigen respect, ut loquitur Dn. Seckendorff im Teutsch. Fürsten-Staat p. 2. c. 2. s. 1. Et subditus principis est etiam subditus imperatoris.

Per homagium præstium subditi à Domino pro-

to

tectionem tam rerum quam personarum vulgo den  
Land. Schut consequuntur, Sweder introducit in jus  
publ. part. spec. sect. 2. c. II. Exinde autem Domi-  
no adstringuntur ad ministeria ac obsequia & ad alia  
servitia personalia, Anton. Bellon. cons. 5. n. 53.

## Caput. VIII. *DE REMEDIIS.*

**C**ontra subditos recusantes præstare homa-  
gium datur conditio ex moribus, imo of-  
ficio judicis compelluntur; Mandata etiam  
pœnalia contra tales subditos in Camerâ i.m.-  
periali Dominis immediate imperio subjectis conce-  
duntur, vid. Maul. de homag. n. 27. puniri autem  
possunt subditi dolose refractarii, ut rebelles confis-  
catione omnium bonorum tam scudalium quam al-  
lodialium, quæ tamen dominus propria autoritate au-  
ferre subditis non potest, sed ut in aliis casibus ubi  
etiam ipso jure res vel bona commissa sunt; nihilomi-  
nus sententiâ declaratoriâ opus est, ut videmus in ca-  
su feloniarum per ea quæ adducit Dn. Situv. in *Synagm.*  
*feud.* cap. 15. §. II. ita & hinc Dominus prius ordinem  
judicarium servare ac sententiam privationis exspe-  
ctare debet, teste Maulio d. l. n. 25, add. Gail. vñf.  
17. n. 9.

Sic etiam subditi detrectantes jurare armatâ ma-  
nu, imo & cum adstantiâ vicinorum principum a-

D 2

digi



digi ad hoc possunt, arg. art. 7. *Capitul. Leopold.* bo-  
 na quoque ipsorum tancis per capi & teneri possunt,  
 donec ad obedientiam reducantur, *Gail. I. obs. 17. n.*  
 3. *Reinking. de Reg. S. & E. l. l. cl. 5. c. 3. n. 6.* Bea-  
 sold. *in thes. pract. voc. Huldigung pag. 701.* Modò I.  
 non aut pacto speciali aut consuetudinario introdu-  
 etum, ut domini prius jurent, aut stipulatâ manu vel  
 literis datis promittant, quod iura libertates & privi-  
 legia subditorum sarta testa conservate atque tueri  
 velint; quod si enim tunc domini id facere reculent,  
 subditi quoque citra piaculum & peticulum, homa-  
 gii præstationem recusare possunt; Nec 2. subditi  
 longissimo tempore muniti jus præstandi homagii  
 præscriperint; qualem tamen contra imperatorem  
 & rempubl. nos non admittere in cap. 5. monuimus;  
 quamvis hanc præscriptionem Argentoratenses præ-  
 tendere constat ex literis eorum ad Reverendissimum  
 & Illusterrimum Electorale Collegium die 22. April.  
 1622. datis, apud Reinking. d. l. c. 3. n. 10. Quæ sat  
 gravibus ex causis improbat Dn. Brüning. *de Homag.*  
*concl. 352.* Quo pertinent & sane legi merentur,  
 quæ prolixè de Argentoratensibus reperiuntur apud  
 Fritsch. *in addit. ad Limn. lib. 7. c. 3. pag. 209. seqq.*  
 Argentoratenses enim ab Ottonis III. tempore nul-  
 li Imperatori (excepto Carolo V.) homagium præ-  
 stiterunt, & licet singuli fere Imperatores id desi-  
 deraverint, allegarunt tamen illi & se defenderunt  
 antiquæ quasi possessionis exceptione, idemque fe-  
 cerunt cum modernus Imperator Sacratissimus LEO-  
 POLDUS (cui Deus vitam & victoriam) à Civitate

ista

istâ homagium exigeret, per literas enim se excusarunt, quatum tenorem exhibet Fritsch. *cit. loc.* Sed jam Argentoratenses fuere Troes.

## Caput. I X.

### *Contraria continet.*

**S**avitur homagii nexus tum ex personâ principis, tum ex personâ Civis seu subditi. Ex persona Principis s. domini, morte illius tam naturali quam civili; que posterior contingit, si contra Cælarem vel Imperium quid molitur Dominus, quod tamen non prius sed tum demum omnium maxime constat, quando ipse in Comitiis condemnatus & in bannum declaratus est, *art. 3. Capitul Leopold.* quo casu Cæsar subditos à juramento absolvere solet, quoniam domini territorii subditus etiam subditus imperii est, ut supra diximus, *Rec. Imp. 1654. §. 6.*

Ex persona Civis per migrationem 1. voluntariam, quando de meliori sorte sollicitus, sedem fortunorum alibi figit, tamen si enim quocunque terrarum concesserit, reverentia adhuc vinculo principi ligatus maneat, quoniam nequam est filius, qui simul ac patris potestate exire, ejus obliviscitur, homagii tamen vinculum omnino solvit & Domino novo præstandum est; non solet tamen plurimis in locis nisi sub onere detractionis hæc migratio permitti. 2. Necessariam, tum quando subditus vi hostili superatus, imperio hostis

D<sup>o</sup> 35

so-



~~ad~~ Subjicitur, cum etiam quando ob crimen migrare vel solum vertere cogitur; Nam si Princeps aliquem pro cive non amplius agnoscere vult, renunciat suo iure per homagium quæsito & facultatem dat alio in territorio sedem figendi, cætera huc spectantia videantur apud Dnum pustendorff. de jur. Nat. & Gens. L. 8. ss. 11: §. 2. 7. & 8.

Denique extinguitur etiam homagium morte civis, nam mors omnia solvit, & ratio quod vis & obligatio hujus juramenti ad heredes non transcat, est, quod nempe in personâ præstetur & personale quidpiam existat, vid. Myler de princip. & stat. pars. 2. c. 38. n. 9. quamvis respectu universitatis in qua civis comprehenditur & quæ nunquam mori intelligitur, aliud dicendum putemus.

## Caput. X. *Affinia exhibet.*

**A**ffine homagio est juramentum fidelitatis, Lehenses officiale quod non nisi ob res in feudum concessas, etiam per procuratorem, præstari solet, ac ex non subdito non facit subditum, ubi tamen notandum quod Rhetius ad 1. feud. 21. pag. 129. tradit, in plurisque principum territoriis hodie neminem nisi cum ipso jure subjectionis feuda possidere posse, ita ut qui vasallus, simul sit subditus, & ita in Marchiâ Brandenburgenâ, Pomeraniâ, Bavariâ & Hassiâ jus esse ait.

2. Ju.

2. Juramentum protectionis sive clientelare, quod clientes Civitates protectori seu principi cuius clientelæ se submiserunt, præstant quod subjectionem tamen non inducit, juxta vulgate illud: Schirm-Rechtigkeit gibt keine Obrigkeit; De quo plura videantur apud Dn. Mollenb. in Divis. jur. cent. 2. Divis. I. lit. C. & add. §.

Hæcce, cum brevitatè Studiosus fuerim, sufficiant; Tu, B. L. Vale & conatum hunc æqui bonique consule.

## Corollaria.

I.



Contractum Emptionis, venditionis in quo contrahentibus super contractu Instrumentum statim confidere placuit scriptum potius quam in scriptis initum, siveque quemlibet ante scripturam inde firmiter obligari, nec unum in vito altero ab eo, etiam cum arrbarum justura discedere posse, dicimus.

II. Actio, quâ maritus docebat promissam petit, instar ejus quâ uxor eandem reponerit, bona fidei non, sed stricti juris est.

III. Victimum in causa Criminali, etiam capitali, in expensas condemnari posse censemus.

IV. Visitatam in possessorio pronunciandi formulam, in materia servitium, ob probationem servitutem prætendit, etiam in possessione constituto, semper imponendam, commode adhiberi posse, non existimamus.

P. F.



V. Fœmina absque renunciatione SCti Vellejani ac Novelæ 134. cap. 5 indeque desumta Authent. Si quamulier C ad SCtum Vellej. pro marito vel alio jurato intercedens, juxta jus Canonicum hodie firmiter obligatur.

VI. Quod in cap. 4. X. de Testam. & ultim. voluntat. de nudis verbis relieto legato ejusque firmitate traditur, à jure Civili prorsus alienum esse non putamus.

VII. Dispositio juris Civilis de legato rei alienæ, quâ ratione nempe illud valeat, juri Divino haud repugnare, & ita differentiam pontificis in cap. 5. X. de Testam. & ult. volunt. fundamento destitui assertimus.



Ortes WESTORPI cernens  
Astræa Triumphos,  
Gratantes roseo protulit ore  
sonos:

Magnus honoratam celebrabit APOLLO co-  
ronam:

Mille feret Sponso gaudia bella Venus!

Calido huic Themidos voto ex animo  
subscribit

Henrich Anthon Storck.



WDA



m meum veni-  
gratiā Acad-  
emia ad altiora  
tem spe me hu-  
cūlarium, quibus  
sit, quæ Exteris  
uere jubet, do-  
cum igitur hac  
t, hinc etiam  
rite' consequen-  
tia GIO ma-  
tationis, potius  
nis satisfacien-  
t, proferre vo-  
quo animo cor-  
accipe.

B. C. D.